



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quod post Arsacium Atticus in Constantinopolitano throno collocatur. Cap.
XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

est ante, sæpius vocauerat. Porro cum grando magnitudine inusitata in Suburbiiis Constantinopolis fortè decideret (accidit hoc quidem Prid. Calend. Octobris eisdem Coss. quos paulò ante citavi) percubuit sermo istud, Deo irato propter Ioannem indicta causa abdicatum, contigisse. Hùc sermonem Imperatoris mors, quæ ilico infecuta est, vehementer auxit. Nam quatrduo post delapsam grandinem, è vita decessit. Erant alii, qui dicebant Ioannem meritò propterea abdicatum, quod quãdo Ephesum, quo Heraclidem Episcopum designaret, iter faciebat, tum Nouatianis, tum illis qui Pascha ad decimum quartum diem mēsis primi celebrant, tum aliis nonnullis in Asia & Lydia multas ecclesias ademerat. Verùm vtrum iusta fuerit Ioannis abdicatio, vt illi prædicabant, quorum animos offendisset, vtrum Cyrenus debitas conuictorum pœnas dederit, vtrum denique propter Ioannem tum grando deciderit, tum Imperatrix morte occubuerit, an hæc non ob istas, sed alias ob causas, an ob vtrasque Deus ipse viderit, qui occulta intelligit, quiq̃ue de ipsa veritate iustus iudex est. Ego ea, quæ tum crebro hominum sermone ferebantur, literis prodidi.

Quod post Arsacium Atticus in Constantinopolitano throno collocatur.

CAP. XVIII.

ARsacius non diu illum gessit Episcopatum, nam sequenti anno, ad secundum consulatum Stelichonis, Athenij autem primum, tertio Idus Nouemb. mortem obiit. Cum autem de Episcopo deligendo à multis vehementer laboratum esset, & ob eam causam multum temporis præteriret, proximo anno, Arcadio iam Sextum Coss. & Probo primum, Atticus, vir pietate eximius, ex Sebastia Armenia oriundus, monasticum vitæ genus ab ineunte adolescentia excolens, doctrina sane mediocri, sed prudentia naturaliter insita magis Valens, Episcopus Constantinopolitanus creatus est. Sed de eo plura commemorabo paulo post.

De Ioannis, dum in exilio ageret ad dominum migratione

CAP. XIX.

x

Ioannes